



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 74. Andegavensis Dux Calvinistas invadens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. A.C. 1569. fii Dux ad Regis castra venerat, una cum copiis, quas ex Lugdunensi, vicinisque Provinciis contraxerat, illumque comitabatur Adretius Baro, qui bellis superioribus diu antea Protestantium partes secutus, innumeras fere crudelitates exercebat, nunc vero ad Regis castra transvolabat: porro Sabaudus in Lotharingiam ad Aumalium, prout a Rege propediem illuc quoque profecturo jubebatur, contendit: interea vero Calvinistæ Lufinianum in Pictavia, Dieppam in Normania, & Gratix Portum frustraneo conatu occupare moliebantur: insuper in Normania tempellive detegebatur conjuratio, cujus Authores per sententiam a Rothomagensi senatu pronuntiatam extremo supplicio affecti perierunt.

## §. LXXIV.

*Andegavensis Dux Calvinistas invadens.*

*Thu. l. 45.*  
*p. 567.*

Post hæc Andegavensis Dux facto per Pictones, Lemovices, & Engolismensem agrum itinere Carantoni oram legebat, quasi Castrum-novum occupaturus, ut se medium inter Piliam cum auxiliaribus copiis advenientem, & Condæum interponeret, quem ut anteverteret Condæus Princeps, Carantono flumine ad Cognacum transmissis re-



sta Castrum-novum tendit: attamen Andegavensis recenti militia auctus, cum se a Condæo Principe ad pugnam provocandum censeret, Confluentiam in Lemovicibus venit, & Vigena flumine transmissio Vertolium tendit, ubi de Protestantium consilio certior factus est: cum autem Jarnacum flumen tra- cieni- di spe excidisset, ac hostes hujus fluvii litus occupasse cerneret, illum prope Engolismam superare statuit, atque in itinere Rufecum armis suis subjicit, trucidatis omnibus, qui in hac urbe erant, præfidiariis: inde vero Castrum-novum contendit, cujus arx ad ripam Carantoni inter Engolismam, & Jarnacum sita mox regis copiis patuit, unde pons a Protestantibus paulo ante abruptus, confestim restaurari, aliusque ex navigiis construi jubebatur, cujus cura Guntaldo Birono fuit commissa. Tum regii milites Cognacum versus profecti, ut opinionem, quasi fluvium ad Castrum-novum transire in animo haberent, hosti demerent, mox eodem revertuntur.

## §. LXXV.

*Colinius Regios transitu prohibere intentus.*

Ex adverso Colinius Archithalassus, *Tit. l. 45.*  
qui primam rebellis exercitus aciem

Aa 4

du-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1569.